Bernardus (19) Sanctæ Viridunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Franco Tungrorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Wala Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Albuſtus Abbas in Monaſterio, quod dicitur Bethleem, ſive Ferrario, ſubſcripſi. (20)

Sequebatur etiam deinde in originali.

PRidie Idus Julii in loco, qni vocatur Pontigonis, ita à Legatis Sedis Apoſtolicæ Leone Apocriſario, Petro, Joanne, itemque Joanne Legatis, ac Anſegiſo Vicario ejuſdem Sedis, & ab omni Concilio definitum eſt de Adalgondo (21) Presbytero. Quia Domnus A noſter Joannes Sanctiſſimus Papa nos quidem; me ſcilicet . . . . . & Leonem Gabinenſem Epiſcopum S. R. E. Miſſum, & Apocriſarium, & Petrum venerabilem Foroſempronienſem Epiſcopum ad hoc in has partes direxit, ſicut pridem Epiſcopos, Joannem videlicet, & Joannem mandaverat, quia diutiùs morari nequimus, ab ipſo revocati, & veſtram beatitudinem longiùs fatigare noluimus, hos Fratres noſtros, Joannem videlicet Aretinum, & Joannem Tuſcanenſem Epiſcopos commorari decrevimus, uſque dum res optatum finem accipiat in Synodo, in qua auctoritate Apoſtolica liberè omnia definire poterunt, grataque erunt. (22) B

(19) *Berardus* apud omnes.

(20) Subſcriptiones iſtæ diverſo ordine in editis referuntur, neque omnes in Ambroſiano Codice extant, quæ ibi leguntur: nonnullæ etiam voces diverſimodè inflectuntur, ſed ea adnotare non placuit, ne Lector gravetur, cùm facilè conferri hæc poſſint cum vulgatis.

(21) Apud alios Conciliorum editores vocatur *Adalgaudus*.

(22) Habentur hæc prolixiùs in editis Actis Concilii Pontigonenſis; ſed cùm nonnulla differant, ea etiam addere non ingratum putavi.

FINIS.